

Nam Imperator vult, ut minor misericordia & clementia exerceatur erga ejusmodi Sacrilegum, quam alium furem, qui simplex furtum in rebus profanis commisit, ratio est, quoniam Sacrilegium contemptum religionis præ se fert; furtum autem admissum cum contemptu divini Numinis & religionis severius coerceri, vel saltem minus veniæ seu misericordiæ mereri docet Damhouder. c. 113. num. 9. f. 192. Prax. Criminal. Vide Remum ad h. art. p. 163. Carpz. part. 2. q. 89. num. 78. fol. 334. Pr. Crim. dicit, ejusmodi furtum haberi ut furtum simplex, & sacrilegum istum poena saltem furti teneri. l. 5. ff. ad l. Ful. Pecul. Farin. part. 7. q. 172. n. 28. Menoch. l. 2. Casu. 389. n. 14. f. 701. de A. I. Q. unde putat talem sacrilegum laqueo esse puniendum etiam de Jure Saxonico, modò furtum æstimationem quinque solidorum excedat; secus putat eum esse fustigandum, & perpetuè relegandum.

## ARTIC. CLXXV.

*Personarum conditionis rationem in furtis habendam.*

In Diebstählen alle Umstände wohl zu betrachten.

**S**ollen auch die Diebstahl/so an geweyheten Dingen und Stätten begangen/ die Hungersnoth/ auch Jugend/ und Thorheit der Personen/ wo der eines mit Grund angezeigt wird/ auch angesehen/ und wie von weltlichen Diebstählen deßhalb gesetzt ist/ darinn gehandelt werden.

## AD ARTIC. CLXXV.

## ARGUMENTUM.

*Sacrilegii non minus, quam aliorum furtorum in rebus profanis commissorum circumstantiæ attendendæ, & juxta illas furiam puniendum est.*

## EXEGESIS.

**V**ult Imperator iudices, ut & illos, qui nomine Judicum sententias condemnatorias concipiunt, admonere, ut ante sententiam tam in furtis simplicibus, quam Sacrilegiis, circumstantias personarum imprimis diligenter attendant, quippe quæ sententiam condemnato-

riam